



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IX. Qui praetextu officii clericum laeserit vel vulnerauerit, ab episcopo suo potest absolui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

scholares sese inuicem percusserint, in plena vel minori aetate, clerici aut religiosi viri in claustris, secundum Canonem illum quo statutum est, ut illi qui in clericos manus violentas iniecerint, ad sedem apostolicam pro sua absolutione venire debeant: inquisitioni tuae taliter respondeamus, quod si clerici infra puberes annos sese ad inuicem, vel vnus alterum percusserit, non sunt ad sedem apostolicam mittendi, quia eos aetas excusauit: nec etiam clerici, si sint plenae aetatis, si non de odio, aut inuidia, vel indignatione, sed leuitate iocosa se inuicem percusserint: nec magistri, si clericum scholarem intuitu disciplinae vel correctionis percusserint, quia non potest in ipsis violenta manus iniectio notari. Ceterum si ex odio sese iidem scholares percusserint, pro sua absolutione debent ad sedem apostolicam venire.

Excusat  
aetas.

Iocosa le-  
uitas.  
Inuitus  
disciplinae.

CAP. VIII. *Idem eidem in eadem epistola.*

Monachi vero & canonici saeculares, quocumque modo sese in claustris percusserint, non sunt super hoc ad sedem apostolicam mittendi: sed secundum discretionem & prouidentiam abbatis sui disciplinae subdantur: & si abbatis discretio non sufficiat, ad eorum correctionem dioecesanus episcopus prouidentia erit adhibenda.

CAP. IX. *Idem eidem in eadem epistola.*

Si vero alicuius potentis ostiarius, sub praetextu officii sui malignatus, clericum laeserit, ab officio suo potest absolui, nisi forte eundem clericum grauiter vulnerauerit.

CAP. X.

Officialis pro iniectioe manuum in clericum non potest sine mandato Romani pontificis absolutionis beneficium promereri. Quia nulli laico tanta super clericum datur potestas, nisi forte turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, sed casu fortuito clericum laeserit. Si forte clericum vim sibi inferentem vi repellat vel laedat, non debet propter hoc ad sedem apostolicam transmitti: sed si in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges & omnia iura permittant. Nec ille compellendus est ad sedem apostolicam venire, qui in clericum, cum vx-

Casus vio-  
lentiae re-  
pulsae.